

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6461

**Autre(s) référence(s) :** Bates 48 / ARTEM 2342

**Auteur(s) :** Enguerrand, fils d'Ilbert [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Caen, Saint-Étienne (abbaye)

**Genre d'acte :** pancarte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1079-1082]

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Pancarte réunissant quatre donations faites à Saint-Étienne de Caen par Enguerran, fils d'Ilbert, Serlon de Lingèvres, Renouf, vicomte de Bayeux, et Guillaume, fils de Robert Goiz, souscrite par Guillaume [Ier], roi d'Angleterre.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Caen, Archives départementales du Calvados, H 1831.

### Éditions principales

a. Musset Lucien, *Les actes de Guillaume le Conquérant et de la reine Mathilde pour les abbayes caennaises*, Caen, Caron (MSAN ; 37), 1967, n° 18.

b. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 48, p. 224-227.

## Dissertation critique

1079-1082, et probablement 1080-1082 ou 1079-1087.

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 225).

Texte établi d'après b

Ego Ingilrannus cum Agnete uxore mea trado pro salute mea et pro anima patris ac matris meæ Cadomensis coenobio SANCTI STEPHANI aecclesiam de villa quam vocant Halnetum cum omni episcopali consuetudine quam ego et antecessores mei de ea hactenus habuimus et cum episcopali consuetudine omnium eiusdem ecclesie parochianorum. Trado etiam totam decimam mearum precationum et corvetarum atque mearum carrucarum si ibi fuerint, duas quoque partes decimæ de tota villa et unam acram terræ ubi possit gracia fieri, ea conditione ut monachi mittant in eadem aecclesia convenientem clericum. Si vero non miserint, commonebo eos convenienter sicut fratres meos et si id facere noluerint, totum in manu mea retinebo, donec clericum ibi mittant qui aecclesie competenter serviat. Dabit autem chrisma aecclesia Halneti ecclesie de Balchei sicut dare consuevit. Concedo etiam post obitum meum aut uxoris mee terciam partem eiusdem decimæ. Testes de parte SANCTI STEPHANI : Anschitillus de Alamannia, Anschitillus filius Belesendis, Rannulfus filius Ogeri, Godefridus, Robertus de Ros,

Rodulfus celerarius. De parte Ingilranni : Rodulfus filius Anseredi, Willelmus Crassus, Robertus de Ævrecei, Alannus filius Nortmanni Peignardi, Willelmus filius Danebaldi et Willelmus nepos Ingilranni.

Ego Serlo de Lingeuvrio, homo peccator et misericordia Dei indigens, consilio et auxilio sanctorum virorum, provido tradere et tradidi de jure meo coenobio SANCTI STEPHANI de Cadomo æcclesiam de Buxedello cum tribus acris terre et dimidia et tota recta decima de dominio meo et villanis meis, cum tertia parte decimæ de militibus meis iamdictæ villæ et de aliis parochianis qui ad eandem æcclesiam conveniunt, pro salute mea et uxoris mee, filiorum quoque et omnium parentum meorum, concedente hoc uxore mea et filiis meis, concedente quoque domino meo Willelmo Anglorum rege Normannorum et Coenomannorum principe et Willelmo camerario et Roberto de Molbrai de quorum foedio predictæ villæ terram et ecclesiam teneo. Concessi etiam ut cum predicti milites mei dare voluerint SANCTO STEPHANO totam rectam decimam ut habeat sicut et meam. Et ut hæc donatio mea firma et stabilis inperpetuum permaneat, recepi a Gisleberto tunc temporis abbate iamdicti monasterii ex caritate XLV libras denariorum et duas marcas argenti et Rannulfus filius meus habuit unum bonum palefridum. Hoc insuper addito ut si aliquando respexerit me Deus et dederit michi cor ut in prosperitate mea monachus fieri velim, pro ista mea donatione et pro ea portione pecuniæ meæ quam tunc habuero, recipiant me monachi iamdicti coenobii. Testes ex parte mea : Rannulfus filius meus, Arnaldus de Tilleio, Robertus de Maisnil, Willelmus Pictavensis et Willelmus de Hotot. Ex parte Sancti STEPHANI : Willelmus de Taisnel, Anschitillus de Maletot et Rogerius filius eius, Anschitillus filius Belesent, Godfridus et Osmundus de Vedeves, Willelmus filius Tedbaldi, Rodulfus celerarius, Godefridus filius Guidonis.

Ego Rannulfus vicecomes Baiocensis trado coenobio SANCTI STEPHANI de Cadomo æcclesiam de Boiavilla cum alodio et omni decima ad eandem æcclesiam pertinenti iure hereditario possidendam et quietam ad omnibus calumniis omnium hominum, pro salute animæ meæ dominique mei Willelmi regis Anglorum principis Normannorum et Coenomannorum et omnium parentum meorum, concedente eodem domino meo et propria manu roborante, concedentibus quoque filiis meis Rannulfo atque Willelmo et propriis manibus firmantibus.

Ego Willelmus filius Roberti GOIZ trado coenobio SANCTI STEPHANI de Cadomo terram quam tenebat de me Robertus filius Turstini in Starvilla et Colombeio cum dominibus, virgultis et omnibus servitiis et consuetudinibus quæ de eadem terra ad me iure hereditario pertinebant, pro salute animæ meæ, patris mei, matris meæ, avunculi mei Ricardi vicecomitis, fratrum quoque et sororum necnon parentum et omnium amicorum meorum eodem Roberto postulante et deprecante, concedente domino meo Hugone Cestrensi comite, vicecomite Abrincensi, concedentibus etiam fratribus et sororibus meis, Ricardo, Rodulfo, Beatrice, Agnete, Mabilia, tali tenore ut in vita et in morte tam ego quam prefati parentes mei et amici beneficium totius iamdicti coenobii obtinere mereamur. Testes : Rannulfus Tesardus, Rogerius filius Murdaci, Robertus ipse. Isti ex parte SANCTI STEPHANI. Ex parte Willelmi : Ilbertus, Paganus, Ricardus, Droco, Morellus.

Signum Wil+llemi regis Anglorum principis Normannorum et Coenomannorum. S(ignum) Rober+ti comitis filii regis. S(ignum) W+illelmi filii regis. S(ignum) Hen+rici filii regis. Signum In+gilranni filii Ilberti. S(ignum) Rannul+fi vicecomitis. S(ignum) Rodulfi fi+lilii Anseredi. S(ignum) Roberti co+mitis de Mellent. S(ignum) Serlonis +de Lingeuvrio. S(ignum) Willelmi ar+chiepiscopi Rotomagensis. S(ignum) Roberti + comitis de Moretonio. Signum Osbe+rni Gifardi. Signum Eu+donis vicecomitis. Signum Wil+llemi comitis Ebroicensis. S(ignum) Hu+gonis comitis. S(ignum) Willelmi+Goiz. S(ignum) Ric+ardi de Corceio. S(ignum) Willelmi + camerarii. S(ignum) Nigelli vi+cecomitis. S(ignum) Ricardi + Goiz. S(ignum) Rodulf+i fratris sui. S(ignum) Robert+i de Starvilla. S(ignum) Willelmi Cris+pini. S(ignum) Robert+i de + Molbrai. S(ignum) Rannulf+i filii Rannulfi vicecomitis. Rodulfus filius Alanni et Butor cum eo fuerunt. S(ignum) Willelmi + filii Nigelli de Haga. S(ignum) Ilberti +. S(ignum) Rogeri pincernæ.

De nostris hominibus isti : Willelmus de Taisel, Anschitillus filius Belesent, Rodulfus celerarius, Anschitillus de Alamannia, Robertus de Maisnil, Ingulfus de Diva. Pro hac donatione huius decimæ de Boiavilla habuit Rannulfus vicecomes quinquaginta quinque libras denariorum.